






Cim. 4463

Buxenius Petrus
Moscovia Constantia?


Tricesii (Andreae): Epithalamium — D. Pe-
tri Buxenii — et pudicissimae puellae Con-
stantinae Sigismundi Moscovii — foliae.


Crac. in off. Lazari. 1580.


PANEG. et VITAE

Polon. 4^{to}.

N^o. 68.







EPITHALAMIVM
NOBILISSIMI
PATRICII POLONI D.
PETRI BVZENII BREZI-
nen. atq; Dopczycen. Præfecti, & pu-
dicissimæ puellæ CONSTANTIÆ
SIGISMVNDI MISCOVII
Oswiećimen. & Zatorien.
olim Præsidis
filix.

PER ANDREAM TRICESIVM
EQVIT: POLO: SECR: REG.



CRACOVIAE
In Officina Lazari, Anno Domini
M. D. LXXX.

NOBILISSIMI

PRINCIPIS

PRINCIPIS

PRINCIPIS

PRINCIPIS

PRINCIPIS

PRINCIPIS



Sim. Qu. 4463

EPITHALAMIVM
NOBILISSIMI PATRICII
POLONI D. PETRI BVZENII
BREZINEN. ATQVE DOPCZYCEN. PRÆ-
fecti, & pudicissimę Puellę Constantię,
Sigismundi Miscovñ Osvecimeñ.
& Zatorieñ. olim Præ-
fidis, filiæ.

E T Iuno, & Venus, atq; fabulosa
Illa numina, præsidere finxit
Quæ tædis genialibus vetustas
Veri expers, procul hinc, procul faceßant:
Sed potens DEVS, & potens salutis
Autor CHRISTVS IESVS, omniumq;
Dextra munifica dator bonorum,
His præsit thalamis, suumq; clemens
Omni ex parte perornet institutum.

Quicquid auspice fit DEO, secundos
Progressus habet, exitusq; lætos,
Hoc vt auspice filio æuiterno
Summi connubium coit parentis,
Hinc prosperrima quæq; subsequantur.

A ij

Ergò

Ergò vota DE o precesq; fundas,
En penultima Iunij sereno
Fortunata dies reluxit orbe,
Sacro fœdere qua pudica virgo
BVZENI tibi non minùs pudico
Iungetur: cupidè tenella virgo
A te est excipienda, honoribusq;
Consuetis: socia hæc erit laborum,
Et dulci recreans amore pectus,
Inde æstus abiget malasq; curas:
Æqua dum violis rosisq; vernis
Ætas floret vtriq;, honesto amori
Indulgete, iocisq;, lusibusq;,
Molles deliciæ vt thori iugalis
Poscunt, millia multa basorum
Non desint: tetricæ seueritati
Olim tempus erit senili in æuo,
Prole multiplici priùs parata.

Nimirùm quoties genus vetustæ
Cerno nobilitatis vtriusq;,
Ætatemq;, parem, paremq;, formæ
Nitorem egregiæ, elegantiamq;,
Et quod præcipuum puto, parentum
Sanctam & sollicitam educationem,

Te Con-

Te CONSTANTIA, teq; PETRE, casti

Aeterniq; adamantinis amoris

Quòd concordia vinculis ligabit.

Quæ solatia ? quæ Deo dicatum

Pertentare putem senis parentis

Pectus gaudia ? cùm videbit ille,

Charus filiulus domum paternam

Pulchra posteritate quòd beabit,

Et plures baculos suæ senectæ

Cernet crescere prosperante CHRISTO.

At mater veneranda, fæminarum

Huius gloria seculi, viriq;

Virtutum æmula, qui sub orbe nostro

Candidissimus optimusq; floret,

Quis posset breuibus referre verbis ?

Quanta læticia per omne tempus

Cor charum exhilarabit ? vt nepotes

Cernet in gremio suo reponi,

Blandiriq; auix, atq; lusitantes

Cursare ante pedes euntis : ô quas

Tunc grates referet DEO, nurrumq;

Quàm tenerimo amore prosequetur

Matri persimilem ? vtriusq; sexus

Grata pignora quæ dedit marito,

A iij

Quem

*Quem felicem aliquis vocare possit,
Id solum inuida fata ni negassent
Has ut cernere posset ille tædas.*

*Germani inde vices obire fratris
Suscepit, pietas ut alma poscit,
Præsul Cimouie undecunq; terræ
Ornatissimus, & sacri senatus
Regalis coryphæus, ut penamplas
Ob dotes animi, entheamq; mentem,
Sic ob lumina magna rariorum
Virtutum, quibus aurei coruscat
Instar syderis orbe in vniuerso.*

*Hic postquam omnia facta iam fuissent,
Coniunx spondet vterq; quæ vocato
Teste atq; auspice PATRIS atq; NATI
Sacro numine SPIRITVSq; SANCTI,
Exquisito epulas (receptus ut mos
Est nostræ regionis) apparatu
Instruxit, Sybariticoq; luxu.
Pleni Pannonici liquore Bacchi
Siccantur Cyathi, omnibusq; mensis
Præstant officium suum strependo
Vocibus iuuenes senesq; lætis.*

At parte ex alia melodiarum

Dulces

Dulces harmonias modosq; cantant
Argutè genus omne Musicorum,
Instrumentaq; Musica orbe nostro
Quotquot sunt, hominum elegantiorum
Usus quæ probat, audiuntur illic.
Inflantur quoq; tibiæ, tubæq;
Et ductant nitidæ choros puellæ
Adiuncta iuuenum pari caterua.

Quin spectacula equestrium iuuentus
Ludorum exhibuit, sed apparata
Splendore eximio, nouisq; prorsus
Rerum imaginibus, nec ante visis.
Nil deterrita sumptibus, sit ista
Omnibus numeris vt absoluta
Quouis iudice pompa nuptialis.

Nec sequente die minus paratum est
Omnis lauticiæ atq; ferculorum:
Prædulcisq; meri, omnia administrat
Quæ sponsi Pater, vt nihil deesset
Horum, hesternæ dedit fruenda cunctis
Quæ lux hospitibus satis superq;
Nam solenniter est venusta sponsa
Tunc adducta palatium in mariti,
Auleisq; tapetibusq; pictis

Ornatum vndiq; quò fruatur eius
Ille amplexibus atq; amore dulci
Hic ingens teneræ chorus iuuentæ,
Alta hæc voce, alacri datoq; plausu,
Ad clausas thalami fores canebat.
Eia viuite coniuges beati,
Ludite, oscula figite, atq; amate
Eui huius fragilis per omne tempus,
Quàm longissima tempora in senectæ.
Diuat ad Pylij senis maritus
Ætatem, diuturnitate vitæ
Vincat Deiphoben marita & ipsam,
Ambobusq; grauis senectæ non sit.
Dic tandem mea Musa, nuptiarum
Qui viri eximij adfuere honori
Tunc, ex ordine Regij Senatus.
Primum DE MBINVS locū inter omnes
CASTELLANVS habet Craconiensis
Longæuam venerandus ob senectam,
Qui iusti est nimium tenax & æqui,
Exemploq; suo trahit iuuentam,
Virtute atq; fide perornet vt se
Antiqua: mereatur hinc supremo
A Republica vt euechi coliq;

6
Quo euēctus nitet ille nunc, honore.

Tu ponendus ades loco secundo
SBOROVĬ, columen decusq; grande
Regni Sarmatici, inclyto potentis
Qui suffragia Regis in Senatu
Prudens consilio, & disertus ore
Fers cum magna hominum approbatione.
PALATINVS in hac CRACI vrbe cūm sis
Præsesq; in Regione temperata,
Rerumq; vtilium omnium feraci.

Hic SAFRANECIVM requirit ordo,
Quem virtus generosa, quodq; rarum est
Nunc, inuictum animiq; corporisq;
Heróas veteres reponit inter
Robur: cui tamen ingentē venusti
Naturam inseruit benignitatem,
Nil vt Marte ferocius seucro,
Sic humaniūs hoc nihil videbis,
Et qui dexteriūs negociorum
Possit munia obire publicorum
Hic SANDOMIRII soli incolarum.
CASTELLANVS, obit suūm fideli
Cura munus, et inde promeretur
Summum, vt cernimus, omnium fauorem

A v

Illum

Illum subsequitur virens iuuenta
FIRLEIVS, solidæ eruditioni
Quem prudentia iuncta, feruidumq;
Virtutis studium, suauitasq;
Morum, tollit in arduum: proinde
CASTELLANVS vt est BICENSIS ille
Nunc, sic postmodò REX cum benignus
Dignitate, opibus, potentiaq;
Reddet eximio parem parenti.

Te iam postulat ordo CHRISTOPORSCI
CASTELLANE VELVNÆ vt canamus,
Dignum laude virum, faues honestis
Qui semper studijs, iuuasq; promptè,
Ac priscæ integritatis orbe nostro es
Exemplum: meritis tuis POLONI
REGES præmia iusta si tulissent,
Summis auctus honoribus fuisses.

Huic tu proximus es loco, parentum
Magnorum decora alta, NICOLÆ
CONESPOLI, atauiq;, qui Senatus
Primo in ordine REGII fuere,
Quamuis eximio te honore tollant,
Tu virtute tamen magis nitere
Contendis: siquidem paratur illa

Vera

*Vera nobilitas : paratur ingens
 Clari gloria nominis, perenni
 Quæ nunquam morituri viuet æuo.
 Et tu ROSPERIÆ modò es vetustæ
 CASTELLANVS, eris breui sed inter
 Illos, qui capita alta sunt Senatus.*

*At ponè hunc ROCOSOVIVS sequatur ,
 Cuius dexteritas fidesq;, REGI
 Rebus cognita comprobataq;, ipsis,
 THESAVRARIVS vt sit ille REGNI
 Cunctorum meruit fauore summo :
 Quin & Veliciasq;, Rochricasq;,
 Quod nunc officium est periculosum,
 Quàm rectissimè vti regat Salinas.
 Vectigalia sic Poloniarum,
 Argenti Flusensibus fodinis
 Iunctis, Rege iubente prouidentur
 Eius sollicita anxiaq;, cura.*


*Hi nunc sufficiant: suis canendi
 Si sint laudibus inclyti Polonæ
 Gentis Patricij, adfuère pompæ
 Qui tunc parte ab vtraq; nuptiali,
 Mille vix puto carminum pœma
 Tantæ materiæ sat esse posset.*


At te


Atte CHRISTE precor, quod inchoasti
Ut semper foueas, tuamq; noscant
Sponsa & sponsus in hoc benignitatem,
Molli ut perpetuò fruantur æuo,
Laudes per æritas tibi canentes
Vitæ, maxime Rex, adusq; finem.


Α Γ Α Θ Η Τ Ι Χ Η.











Biblioteka Jagiellońska



stdr0033207

